



SECTIO V.

De præcognitis disciplinarum.

UT singulæ artes sua habent Lexica: ita & lingulis sua sunt præcognita. *Arist. 1. post. analyt. & 6. Eth. c. 4. ἐκ προγνωσκομένων πάντα διδασκαλία: omnis doctrina est è præcognitis.* Vide *Vivem, Zabarellam & Keckerm.* variis in locis.

Præcognita igitur sunt generalis & anticipata doctrina de artis alicujus naturâ & studio. Næ infelicitèr versabitur in re grammatica, qui Grammaticæ naturam vel rationem studii, quod ei impendi debet, ignorat.

Præcognita quæ sint & dicantur.

Natura cujuslibet disciplina explicatur definitione, & distributione. *Keckerm. in Logic, principio.* Vide hinc inde *Zabarellam.*

Natura disciplinae quæ sit indaganda?

Scholasticorum hæc de re doctrina talis est:

Primùm in qualibet disciplinâ studium nostrum in eo versari debet, ut ejus naturam indagemus. Id autem fit, cum proprium ejus nomen expenditur, & omnino quid cum aliis commune habeat, quidque sibi ut proprium vendicet, quem inter doctrinas locum, extremùmne aliquem, an intermedium obtineat. Hanc methodum ut non carpo, ita nec laudo, ductus amore prioris, quæ *Zabarellæ & Keckermanno* probatur.

Definitio disciplinae est præcognitio, eaq; vel dirigens, vel agens. *Zabarella de præcogn.*

Definitio est præcognitio:

Præcognitio dirigens est definitio nominis: quæ est

1. Dirigens.